



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Sive Eivsdem Historia Ecclesiastica Anglorum, Vitæ Aliquot Sanctorvm, Et
Martyrologium

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Vita Divi Bertolfi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71990)

discordia fomitem vehementer administrabat, demonum rabies pervasit, & ignobiliter ad extrema perduxit: nam propria manu ipse laqueo se suspendit. Porro cum hæc ultio nequaquam fieret correctio delinquentium, major protinus vindicta secuta est. Subito namque fulgur ingens è cælo lapsum, tanto fragore percutit locum, devastat monasterium, tegumenta subvertit, plebem exurit, ut præfens correctio manifestè monstraret, futuram debere fugere iram: mortuique sunt ad præfens plusquam xx. homines, auctore tamen totius criminis ad penitentiam reservato, ut si cognosceret semetipsum, & rediret, sanitatem proculdubio reciperet; nulli etenim Dominus peire desiderat, sed semper quamvis gravibus delictis obitum, per penitentia fomenta redire expectat. Cumque sibi sapius penitentia locum datum infelix Agrestinus non cognovisset, ut Eustasii sententia ad iudicium eum invocantis prævaleret, ante triginta dierum circulum, quam vertentis anni meta completeret, à servo suo quem ipse redemerat, securi percussus interit, & occasio criminis dicebatur uxoris permixtio. Quod quamvis multi dixerint, & vera allerere vellent, nostrum tamen affirmare non est; cuncta etenim juxta Salomonem, Adducet Deus in iudicium pro omni reatu, sive bonum sive malum. Et Apostolus dicit, Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Hoc solum à nobis liberè dicendum est, iusta eum sententia divini iudicii percussus, ut & assentatoribus suis à lacerationibus famulorum Dei fugere monstraret, & ille contumaciam suam per meritam ultionem lueret. Post hæc Amatus & Romaricus Eustasii patris indulgentiam postulantes, ab eo recipiuntur, & in pristinum gradum restituntur. Appelinus quoque & ceteri Galliarum Episcopi, ad roboranda sancti Columbani instituta aspirant: quorum multi in amore ejusdem sancti patris nostri ferventes, secundum ejus regulam monasteria construunt, gregem Christo congregant, & religionem monastica professionis adaptant: inter quos vir illustris Eligius nominis, qui modò Veromandensis Ecclesie Pontifex præest, juxta Lemovicensem urbem, monasterium nobile Solenniacum nomine construxit, super fluvium Vincennam, distans à supradicta urbe millibus quatuor: & alia multa in iisdem locis cœnobîa. Sed & in civitate Parisiensi puellarum monasterium, quod de regio munere suscepit, ædificat: in quo Christi virginem Auream præfecit. In Bethoricense verò urbe, puellarum monasterium ex beati Columbani regula, Bertraha nobilis genere & religione, femina sanctissima construxit. In suburbano etiam Bethoricensis urbis, vir venerabilis Theodolus, cognomento Babelenus, monasteria ex regula Columbani, religione omni pollenti construxit. Primum quoque in insula super fluvium Milinandram, ubi religiosorum virorum adinavit catervam: aliud Gaudiacum nomine, haud procul à fluvio Albero; tertium virginibus ac religiosis feminis institutum, in loco Caranthomo supra fluvium jam dictum Milinandram: itemque aliud Christi virginum, juxta Nivernense oppidum sub eadem regula construxit. Beatus ergo Eustasius post has victorias corrigere mentes delinquentium studet, ac sua pace, qui remanserant, adunare decrevit: deinde monachorum sub ejus obedientia in sæpè fato cœnobio, quam maxima cœverat turba, ut jam multa per vicina confluerebant monasteria, quæ ejus successor Uvaldebertus firmavit atque ædificavit. Jamque beatum de hac vita exitum prætolans omni intentione ad contemplanda mysticorum præconiorum documenta desudat, ac soli Deo mente intentissima preces effundere non cessat. Postquam per multorum circulum annorum in hoc opere vacavit intentio, advenit tempus vocationis ejus, daturque sententia iusti iudicis, ut quod minus annorum circuli diversis afflictionibus peracti purgaverunt, paucorum dierum corporis infirmitas sanaret: interrogatusque inter pœnæ incendia per visionem nocturnam, si quadraginta dierum spatio leviori pœna curari velit, an triginta ferventiori incendio, respondit ille, Melius esse quamvis duris, in brevi subiacere flagellis, quam levibus consumi longius pœnis. Explevit ergo proviam atque

electam corporis pœnam, & trigesimo die omnibus valedicit, eandem diem ultimam esse denuncians; & sumpto viatico animam cælo reddidit, Christeq; duce paradisi gaudia penetravit, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sancti Eustasii Abbatis vita Finis.

SANCTISSIMI VIRI BERTOLFI ABBATIS BOBIENSIS COENOBII, VITA ET TRANSITUS.



UAM præclara sint monumenta iustorum, studuit declarare posteris diligentia scriptorum: quapropter & ea, quæ nostris noscuntur patrata temporibus, nequaquam negligentia somno torpentes prætermittere debemus; ut sicut nobis præcedentium exempla uberius religionis studia generant, ita nostrorum temporum acta, virtutum augmenta posteritati pariant. Venerabilis igitur Bertolfus, Bobiensis cœnobii abbas, quis quantusque fuerit, non est omitendum tradere memoria: sed prius qualiter à seculo conversus sit, memorandum. Fuit enim genere nobilis, licet gentilis, consanguineus B. Arnolphi Merensis urbis Pontificis: qui cum præfatum Arnolphi Pontificem ad cultum religionis post aliquos honores, post infusas pompasque seculi ad religionis studia anhelare perpexisset, nisus est & ipse calcando terrena cœlestia desiderare. Postpositum ergo patrem nataleque solum & pompas urbis, juxta Evangelii vocem, post rerum amissionem nudus tollendo crucem, ac sibi in seipsum abnegando se, secutus est Christum, junctusque supradicto Pontifici Arnolphi, cum ipso aliquantisper commoratus est: deinde ad venerabilem virum Eustasium, cujus jam supra vitam descripsimus, Luxovium perrexit, ubi diu subiectus sanctæ regulæ, & monasticæ religioni, omnibus inibi conversantibus gratissimus effectus est. Exin adventante beato Attala Bobiensis cœnobii abbate, ex Aufoniæ partibus, cum voluntate & pacis vinculo beati patris Eustasii, ejus societati subiectus est, quia erat illis cor unum & anima una: nec quicquam manebat discordia, si mutuo ac vicissim subiectos sibi fratres communitarent. Abiit ergo post vestigia venerabilis Attalæ, Aufoniæque finibus receptus, in Bobiensis monasterio sub obedientia ejusdem sancti viri permansit. Cum autem conditor rerum beatum patrem Attalam ad cœlestia regna post ærumnas hujus seculi transfuisset, omnis monachorum concio, voce simul & animo præfatum Bertolfum sublimaverunt honore paterno: qui per tredecim annos omni diligentia studio plebem sibi commissam salubribus monitis erudire non omisit. Porro quid in his temporibus gesserit, memoria tradendum est. Cum jam egregiis moribus, bonitate, disciplina, & omni virtutum ornamento polleret, cepit antiquus anguis quidam contrarietatis adversus eum machinari. Excitavit enim quandam Procum nomine, Cleronenis urbis Pontificem, qui ut subiectum sibi præfatum abbatem cum cœnobii supplemento faceret, omni nisu intendebat, vicinosque Pontifices, & alios quoslibet primates ad id peragendum muneribus attentabat. Super eadem quoque re adit regem Auriouardum Longobardum, qui eodem tempore regnabat: sed cum nihil aliud à rege in responsis accepisset, nisi ut Ecclesiastico jure probarent, utrum cœnobîa procul ab urbibus sita, Episcopali debeant ministrare dominio, ille omnes quos potuit suo intentui jungit. Cumque hæc agerentur, unus aliquis ex aula clam præfato Bertolfo totius machinationem causam per internum manifestavit. At ille statim experientia causa quosdam de pueris suis direxit ad regem: quibus

Aurioual-

249
 Aurioualdus inter alia respondit, Non est meum sacerdotum causas discernere, quas synodalis examinatio ad purum debet iudicare: sciscitantur illi qui missi fuerant, utrum fautor esse velit praedicti Episcopi, an abbas sit. Ad quod rex, Nequaquam se, ait, illis favere velle, qui famulo Dei molestias aliquas aut injurias vellent irrogare. Cum ergo venerabilis Bertolfus regem quamvis barbarum, & Arianæ sectæ credulum tam humanè de causa sua locutum fuisse cognovisset, poscit ut supplemento ipsius Romam ad sedem Apostolicam venire queat: quo statim largis manibus impensio, Romam iter arripens ad Honorium Papam accessit: cui cum rei causam patefecisset, ille de industria quaerit, quae sit consuetudinis suae regularis disciplina. Cumque cuncta alacri animo in aures praefulus digessisset, placuit beato Honorio ut regularis series, religionis cultum ac humilitatis indicia teneret: at ubi hæc omnia vera relatione perdidicisset, sanctus Papa quotidiano assamine venerabilem Bertolfum roborare nixus est, ut cepti itineris laborem non relinquere, & Arianæ pestis perfidia Evangelico mucrone ferire non abnueret. Erat enim venerabilis praefulus Honorius sagax animo, vicens consilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens: lætabatur ei gentibus socium repensse, cum quo dulcia promeret effamina: nec prius delectabatur, ut citò ab ejus consortio segregaretur. Sed cum vehemens æstus quiescendi longum prohiberet spacium, præbit opatum munus sanctus Papa patri memorato Bertolfo, privilegia scilicet sedis Apostolicæ, quatenus nullus Episcoporum in præfatio cœnobio quolibet jure dominari conaretur. Percepto ergo munere optato, ad patriam reversi sumus: cumque peracto aliquanto itineris spacio, Tuscanis arvis postpositis, Apennina rura attingentes, castrum, cui nomen Bismanum est, venissemus, tanta vis febrium Bertolfum patrem oppressit, ut omnino mortem præveniri crederetur: erat enim vigilia passionis beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Cumque jam ara nox irrueret, ille inter ignes febrium accessit me, ac curis mens dedita de nocturna vigilia inquisivit: sed cum ego dicerem omnia jam bene esse disposita, ille ait, Et tu ante stratum meum per totam noctis metam, quousque diei prorumpat crepusculum, excubas. Cum ergo excubassem, quousque intempesta nox irrueret, tantus sopor oppressit me, ut sursum caput attollere non valerem, omnesque qui erga tentorium sarcinas vel equos custodientes excubabant, simili sunt oppressi sopore. Interea beatus Apostolorum princeps Petrus adventit, ac super stratum aëri patris astant, Surge, inquit, & sospes cum conviatoribus tuis abscede. Inquirentem autem beato Patre quis esset, qui sibi talia juberet, ille respondit, Ego sum Petrus, cujus hodie clara in toto orbe celebrantur solennia. & hæc dicens abscessit. At ille timore percussus, trepido corde sciscitari cepit à me, si audissem vocem, vel aspectum alicujus vidissem. ad quod ego respondi, Minime. Non cernis, inquit, fulvam lucem ubi Petrus Apostolus pergit? Tunc tandem agnoscens quid causæ gestaret interrogatio ejus, vix obtinere merui obnixis precibus, ut mihi rei panderet veritatem. Quodam tempore, dum expleto psallendi officio una cum fratribus secunda diei hora, de Ecclesia beati Petri egredere, obvium habuit hominem nomine Viatorè, dæmonis rabie plenum: quem induens, elevatis ad cœlum oculis, conditor è omnium postulavit, ut suis votis elementer adesset, & hominè illum de diabolica peste liberaret. Cum igitur expleta oratione imperasset dæmoni ut exiret, & imaginè Dei ulterius maculare non præsumeret, miserabiliter discerpens hominem iniqua peste aufugit, & eadem hora salus subsequuta est. Interposito deinde aliquanto temporum circulo, infantulus quidam vocabulo Dominicus, filius cujusdam nomine Urbani, seva dæmonis infestatione oppressus, ad beatum virum curandi gratia perductus est: quem ille protinus fusa ad Dominum prece post increpationem maligni peravoris curavit, & sanum ad propria abire permisit. Quidam etiam leprosus valida lepra perfunctus, nec prius ad recipiendam sospitatem à medicis fiduciam gerens, ad ve-

Bede Tom. 3.

nerabilem virum Bertolfum venit, suisque orationibus ut opem misericordiam crederetur, postulavit: quem ubi vir Dei fiducia plenus aspexit, gravi ultioni hominem subjacere suspiravit, & ut secum quoad usque sospes redderetur, maneret imperavit. Mens ergo virtutum conscia celos penetrans, ad suas preces rerum conditorem excitavit, peractoq; biduano jejunio, oleum super hominem ulceribus plenum effudit. Cujus ilico membra leprosa didicere post viscerum putredinem sanitatem puram recipere, & ad pristinum decorè denuò reverti: & ita sanus æger effectus est, ut nec vestigium lepræ in ejus corpore remaneret. Sic creator omnibus suis famulis favendo subvenit, ut ubertim virtutum vigore roborati, calcando secularia, cœlestia semper studeant adimplere præconia. Plerumque etiam aliorum monachorum experti sumus flagrare virtutes, & ideo rarè duximus, ut ex his aliqua intereramus. Cum aliquo tempore Blidulfus presbyter à beato patre Attala ad Ticinum urbem directus fuisset ibique pervenisset, obvium habuit Aurioualdum regem Longobardorum, Arianæ sectæ credulum: is ergo cum vidisset Blidulfum presbyterum, ait ad suos, De Columbanii monachis est iste, qui nobis salutantibus apta denegant respondere: cumque jam haud procul abesset presbyter, salutavit eum Rex ironice tamen. Ad hæc Blidulfus, Salutem, inquit, optarem tuam, si tu seductoribus tuis non faveres, & alienis à veritate Christi doctrinis animum non accommodares. Justè etenim esset, ineffabilem Trinitatem una deitate confiteri, non tres potestates, sed tres personas: nec unam trium nominum personam, sed tres in veritate patris, & filii & spiritus sancti personas una voluntate, potestate & essentia. Hæc paulisper audiens Rex, cum progressus fuisset, iracundia succensus, questus est se non habere ministros, qui obtrunte noctis caligine, monachum illum ita contumaciter in conspectu suo locutum sollicitarent, & sustibus ac sudibus cœsifum morti traderent. Tunc unus vesanicè cæteris, ad hoc patrandum se respondit esse paratum. Dicit ei Rex, Si voluntati meæ satisfeceris in hoc, muneribus te mox illucescente die crastino ditabo. Progressus itaque pessum ille, alium sibi sceleris socium similem sibi assumit, & obortis tetris tenebris, viam qua monachus à coena ejusdæ Christiani, qui invitaverat eum ad hospitium, regredi debuit, vigilanter custodit. Cum ergo monachus inopinatè venisset ad locum custodiæ, percussus in cerebro, & omni compage corporis collisus, pro mortuo cadavere relictus est ab ipsis satellitibus, nullo de populo id sentiente. Erat enim abditus locus, sed nec vocem dare quiverat, anticipatus loco, & immanibus ictibus. Porro is ad cujus domum metatus fuerat, nesciens quidem eventum rei, sed tamen suspicatus hoc ipsum quod evenerat (erat enim & ipse presbyter) arrepto baculo venit ad locum, repertiensque jacentem, ac si somno depressum excitare conatus est. Ad cujus ille vocem velut ab stratu incolumis surgit, nec plagarum vestigiis apparentibus, cum eo pariter ad hospitium pergit, indicans qualiter à latronibus quibusdam comprehensus dirissimis plagis macatus fuisset, nec tamen aliquid inde sensisset. Peractis deinde causis pro quibus exierat, ad monasterium repedavit. Post cujus discessum protinus ille qui se spontaneum ad iniquum opus partandum indiderat, dæmonio corripitur, & diversis poenarum incendiis flagellatur, commissum facinus excrucianter confitetur: universus autem populus in ejus cruciatibus timore percussus clamavit & dixit, Quicumque Bobiensibus monachis malum aliquod intulerit, simili ultioni subjacebit: & qui Arianorum persuasionibus acquiescit, tales iras justis iudicis merito sustinebit. Videns facinus suum infelix Aurioualdus divinitus manifestatum: confusus inde, & metuens ne sibi tale quid eveniat, ipsum quem vis horrida torquebat, cum conviatoribus ad beatum Attalam dirigit, postulans ut commissum malum ignoscat, spondens se multum ejus obsequio paratum fore, si sua dona dignaretur accipere. Beatus pater Attala respondit, se nunquam in perpetuum Arianis hominis dona suscipiturum: rogat tamen universos fratres, ut pro pestifero, qui adductus fuerat orationem ad Dominum fundant:

L 3

quibus

BEDA
 TOM. 3.
 LIB. 3.
 CAP. 12.

quibus attentius orantibus, pestifer ille sanitati redditur, sed vitæ lucris non diu potitur. Nam cum ad propria redire desideraret, correptus igne febrium, inter penales incendii calamitates vita privatus est: quem nequaquam iuxta aliorum sepulchra sepeliri ausi sunt, sed procul ab hominibus in quodam conspicuo loco posuerunt, quo prætereuntes dicerent: Hic jacet ille miser humatus, qui Bobiensibus monachis crudelitatem suam ostendit. Per idem tempus alius monachus Meroveus nomine, ad Therdonam urbem à beato patre Attala directus, ad quandam villam supra Yam fluvium sitam, pervenit: ubi sanum inter arbores positum videns, allatum ignem supposuit, lignorumque congeriem in modum pyræ coacervavit. Quod videntes cultores sani, Meroveum apprehensum, diuque sustibus caesum, & scibus collisum, in fluvium demergere conantur: sed monachum unda recipere volebat, quanquam ille omnimodo pro tali causa mori paratus esset. Cumque cererent non posse dimergi, quem Domini miseratio custodiret, prosterunt super undas Meroveum, mactantque lapidum desuper coacervant, ut immane pondus corpus ejus submitteret undis, relictoque, ut ipsi rebantur, cadavere ad metatus revertuntur. Quibus abeuntibus, Meroveus nihil mali sentiens, incolumis à fluvio surgit: ac disruptis nexibus Therdonam ingreditur, & peracto negotio suo ad monasterium repedit: continuo divina ultione prosequente, omnes qui ad opus illud parandum crudeles se exhibuerant, diversis poenis afflicti sunt. Alios namque cæcitas, alios ignis utriusque contractio publica, alios omnium membrorum debilitas invadit, diversique diversa percipere tormenta: quorum tamen aliqui ad Bobiense cœnobium se deduci rogaverunt, & postulata jam venia, per poenitentiam medicamenta illatas poenas evaserunt, reliqui omnes in eadem ultione mortui sunt. Aliorum verò monachorum in suprascripto cœnobio felicem vitam & feliciter exitum vidimus, qui de hac luce exeuntes diversa superstitibus exempla reliquerunt: ex quibus aliqua ponenda sunt, ut viventibus, eorumque vitam imitari volentibus, adhortatio crescat. Quidam monachus Agibodus nomine, qui sub beato patre Attala molendinum monasterii gubernavit, in extremis anxietatibus positus, horam sui exitus expectabat: cumque jam fratrum caterva astaret, quæ exeuntem de mundo animæ supremos impenderet honores, atque ex more ad psallendum officium se præpararent, elapsa illa de corpore, vidit æternam lucem sibi præparatam, solemque rutilo fulgore micantem. Tunc unus ex calciculis ad eum accessit, seiscitatusque quid ac tonitus intueretur: responsum accepit ab eo, solis fulgorem videre micantem, & talem ejus esse splendorem, cui nunquam viderit parem. Ille ait: Noveris te hac die ad nos venturum esse, & hujus fore lucis habitorem, septiesque super hunc noveris animas iustorum choros insertas splendere. Reversus ergo valedic fratrum tuorum cætui, & sic deinceps redies ad nos. His dictis frater ille rediit ad superiores, & ultimum vale omnibus fecit: quem dum unus ex astantibus interrogaret, ubi tandem accipere exitum moratus esset, exponit quid viderit, & quanta sibi claritas promissa esset, edicens, quod eadem hora iturus esset denunciatur, viaticum tantum capere, & valedicere fratribus regressus. Sumens itaque sacrum Domini corpus, dato pacis osculo omnibus, postulat ut charitatis officium deferant corpori, animam attentius commendantes creatori. Tunc à seculo migrans ad promissam sibi charitatis splendorem evolavit, relinquens posteris exemplum beatæ conversationis, ut qui ejus coronam ante exitum promissam cognovissent, puritatis nihilominus ejus, & religionis in omnibus imitatores existerent. Is etenim fuerat à pueritia sub regularis disciplinæ norma eruditus, sub beato Columbano à seculo conversus, simplex & omni bonitate inter fratres habitus: obedientia & religione pollens, malitia omnino juxta Evangelium parvulus existens. Et quid aliud fuerat, quod clementissimus rerum creator exeuntem de mundo voluit monstrare, qualis futurus esset, nisi quod hi qui simili simplicitate vivunt, & obedientiæ ac mortificationi voluntariè se subijciunt, similem remuneratio-

nem expectent, & æterni luminis claritate possint? Alium similem obedientiæ, pietate ac mansuetudine fratrem, Theoldum nomine, vidimus feliciter de præsentis vitæ segregari, & cum omni lætitiæ atque exultatione ad æterna gaudia properare. Nam cum lætus suo jaceret in stratu, rogabat ut omnes ad se venirent fratres, omnibusque valedicere, iudicans se eadem hora egressurum: sed qualiter suum videret exitum, nobis nequaquam voluit manifestare. Cuique valedixisset omnibus, viaticum poposcit: quo sumpto, antiphonam ipsè imposuit dicens: Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Syon. Impleta autem antiphonæ melodia, lætus & omni amenitate repletus, animam dator reddidit: ut nobis qui astabamus, aperte daretur intelligi, eum de divina gloria, & promissis præmii lætitiæ fuisse repletum. Monachus quidam sub Abbate Bertolfo, nomine Baudacharius, cum tempore videremur ordinatus esset ut vineam custodiret, ne avium bestiarumque incursum damnū inferret, evenit ut triginta fratres ad eandem vineam devenirent: at ille charitate plenus, postulat ut ibi post laborem fessa membra reficiant: nec tamen aliud quicquam ad manus habebat, nisi modicum panis, quem ad usus suos detulerat: quem cum præpositus increpater, cur refectioem his quibus nihil dare habuerat, præbuisset, ille respondit: Large dapes mecum sunt, & quibus multo plures satiari possunt. Inquirentes verò præpositus, quæ essent illa dapes, alitem, inquit, sibi datam à domino, quam à nando Anateo vulgò vocant. Præpositus dixit: Fac sicut dixisti. Ille ergo frater, qui charitate amabat, & charitatem cum fratribus facere volebat, divisit cibos quos habebat per triginta, & fiduciam habens in Domino, desiderabat omnes saturari de modico cibo. Quod & ita plenariè cooperante gratia Dei perfecit, ut dicerent omnes, nullo se tempore vitæ suæ tanta saturitate fuisse repletos. Auxit enim fides, quod in se non habuerant dapes. Alius item monachus Leobardus nomine, cum ad vineam custodiendam aliquando deputatus fuisset, invenit vulpulam uvas vorantem: quam statim comminando corripuit, ac ne amplius attingeret, imperando prohibuit. Cuique ille abiisset, ad solitum furum fera regressa est: sed cum gustasset prohibentem, in ore cibo hærente, fera expiravit, moxque Leobardus de studio vineam circueiens, reperit vulpem mortuam, prohibitos cibos in ore tenentem. Alia vice Leobardus idem cum Meroveo, cujus superius fecimus mentionem, septa vinea ex Abbatis imperio defenabant, atque muniebant: evenit autem ut securi arborem succiderent, & de ramorum congerie septa densarent: cumque jam columnam ramis spoliasset, consilium fuit ut terræ profstrati dominum postulerent, ut ipse augeter fortitudinem, quatenus ipsam columnam arboris integram ad sepevehere potuissent. Surgentes igitur ab oratione, cum invocatione nominis Christi arborem arripiunt, & quam vix multi trahere quiverant, duo homines armati fide levi motu portabant. Hanc ipsam arborem multi postea fratres simul positi movere tentabant, & cum minime levare valerent, tum demum virtutem omnipotentis Dei circa famulos suos operantis agnoscebant. Sed fortasse nos aliquis reprehendendo, nosque rodendo, quod talia scripserimus de fratribus nostris, dijudicat atque condemnat: nos tamen obtestantium linguas non attendentes, quæ ad divinam gloriam pertinent, silentio tegere nequimus. Illi dijudicent, utrum hac conditoris dona sint, aut non sint recipienda: & cum didicerint talia non posse nisi à Deo fieri, laudes & condignas gratiarum actiones referant ipsi, qui semper & ubique mirabilis est in electis suis: Jesus Christus Dominus noster, cui est cum Deo Patre & Spiritu sancto, honor & gloria, in secula seculorum, Amen.

SANCTI BERTOLFI VITÆ FINIS.